



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

49. Burchardus Camerace[n]sis Episcopus Bornhemensem Abbatiam,  
inopia laborantem, Fulgentio Abbatii Affligemiensi, eiusq[ue]  
successoribus, perpetuò regenda[m] an. 1120. committit, suppressa S.  
Aug. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## C A P V T X L I X .

Burchardus Cameracensis Episcopus Bornhemensem Abbatiam,  
inopia laborantem, Fulgentio Abbatii Affligemensi, eiusque  
successoribus perpetuo regendam, an. 1120. com-  
mittit, suppressa S. Augustini regula.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BVRGARDVS Dei  
miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quam præ-  
sentibus in perpetuum.

Scriptura docente, quæ ait; Si bene feceris, scito cui feceris, & erit  
gratia in bonis tuis multa, ex officio pastorali præcipue monemur,  
ut erogationes nostræ auctenticias & religiosas personis adscriban-  
tur.

Nos igitur Bornhemensis ecclesiæ, ferè ad nihilum redactæ, de-  
solationi condolentes, venerabilem fratrem nostrum Fulgentium,  
Affligemensis ecclesiæ Abbatem, & religiosum ecclesiæ suæ con-  
uentum super hac necessitate conuenimus, & ut Abbatiam illam  
sub regula S. Augustini annihilatam, regendam, & sub regula B. Be-  
nedicti emendandam susciperent, monuimus, rogauimus, petui-  
mus.

Prece itaque nostra tandem exaudita, communicato Ecclesiæ  
nostræ consilio, præfatam Abbatiam de Bornhem, cum appendicijis  
suis Haueſ-lednac & Hingen, imò cum capellis Berchberga & Rimenham  
Apostolica auctoritatē eidem ecclesiæ confirmatis, alodijs etiam  
& donarijs ibidem assignatis, supplicante fratre nostro Sigefrido  
Bornhemensi Abate, fratribus quoque potentibus, tum penuria  
ingruente, tum vitæ suæ melioratione, præfatae Affligemensi ecclæ-  
siæ, sub regula B. Benedicti permansuram concessimus.

Cum enim eadem Bornhemensis ecclesia à WENEMARO Gan-  
densi Castellano alodijs & donarijs quam plurimis fundata, & à  
prædecessore nostro domino Manasse, bona recordationis Episco-  
po, emancipata, Abbate consecrato & fratribus sub regula B. Augu-  
stini constitutis, in melius procedere debuisset, ordine penitus an-  
nullato, forinsecis commoditatibus destructis, in nihilum fere re-  
dacta est.

Ea itaque angariati necessitate, præfataim traditionem canonicè facientes, decreuimus ut prædictam Bornhemensem ecclesiam & libertatem, quam sub regula B. Augustini hactenus tenuerat, Affligemensis ecclesia vterius sub regula B. Benedicti liberè & inconvulsè possideat.

Altare etiam de *Merecca*, cum appendicio suo *Bergesem* sæpè factæ Affligemensi ecclesiæ concessimus: ad arcendas quorumlibet maleuolorum importunitates, data conseruatoribus benedictione, in peruersores anathematis sententiam, quoad resipuerint, promulgamus, atque subsignato canonico testimonio huius decreti paginam sigilli nostri i impressione consignamus.

Signum domini Gualteri Archidiaconi.

S. Rudolphi Archidiaconi.

S. Anselli Archidiaconi.

S. Theodorici Archidiaconi.

S. Erleboldi Præpositi.

S. Hadeguini, Widonis, Radulphi, Errardi, Hugonis, Lamberti, Mazelini, Gualteri, Bernardi, Giranni, Hugonis, Canonicorum.

**1120.** Actum anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo vigesimo, Indictione XIV. pontificatus vero domini Burchardi quinti.

Ego Guirimboldus Cancellarius scripsi & subsignau. i

### N O T A T I O.

**BVRGARDVS** ) seu Burchardus Cameracensis Episcopus anno  
1130. viuere desijt; vt Waterlosius ipsi coætaneus in Chronico  
ms. Cameracensi, itemque Dodechinus testantur.

C A P V T